

Kaspar Jakob Huth

## **In Diss. Goettingensem De Vocatione Divina Ad Ministerium Ecclesiasticum : Animadversio Theologica**

Recusa, Erlangae: Camerarius, 1761

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn829766332>

Druck Freier  Zugang











59.

Fa-1092(59.1)











- 1. Sartorius, de imagine diuina
- 2. Hebrity, de vindictis Salomonis aduersus criminationem scepticismi.
- 3. Semler, de mysticorum interpretationum studio ab Aegyptiis patribus maxime repetenda, hodie parum utili.
- 4. Sartorius, de antirationalismo apostolico, occasione oraculi 2 Cor. 10. 5.
- 5. Semler, de Gaeoniacis quorum in euangelio sit mentio.
- 6. Kuhn, *Über die Bedeutung des Wortes "Gott" im N. T.*
- 7. Fichtelmair, de schola Jabnensi celeberrima quondam Palaeorum Academia praemittit.
- 8. Feibichius, Συμμετα αντιζητήτων τερψικάρων.
- 9. Nettelbladt, de genuina prophetae de praesenti et de futuro notione.
- 10. Nius, de methodo Hildebrandina.
- 11. Boekmer, de morbo ex hypochondriis.
- 12. Gottsched, de memoria Adeliaana et Sygferiana.
- 13. Huet, de personalitate.
- 14. Roessler, de vita veterum sublativis manibus precandi.
- 15. Burgmann, de vetere Testamento etc.
- 16. Hartmann, in 2 Petri 2. 1. de actu reprobis vero refectionis etc.
- 17. *Idem*
- 18. Stepinus, characterem traegediographi.
- 19. Baste, du Deluge par l'auteur de la methode etc.
- 20. Prüfung der Inauguraldissertation Joh. H. Müllers. von Niemann Ubbelohde.
- 21. Prier, de diuina vaticiniorum origine.
- 22. Prier, de reptione Lutheri verborum Gen. c. 4. comm. 26.
- 23. *הורה בן נפתלי חזקוני*
- 24. Carpow, de speculo exponentem speciatim.
- 25. Carpow, de fucis et tinctura, oculorum, faciei, capillorum exponentem speciatim.
- 26. Quistorp, exegesis theologica notionis biblicae filiorum Dei.
- 27. Quistorp, de adoptione diuina vniuersim spectata.

59.

27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100



- 26.) Carpov, de  $\alpha\pi\alpha$  in scriptura  $\alpha\pi\alpha\theta\epsilon\omega\varsigma$ , Filionum filiarum Zion.  
 27.) Burgmann, de Deismo generatim spectato.  
 28.) Hartmann, de impossibili quorundam ad Metanoian reuocatione.  
 29.) Haddewig, de dormientibus, secunda agens de iusta Romae salutari  
 quantitate et mensura.  
 30.) Engelen, de otio Monachorum haud probando.  
 31.) Roeben, de genesi intellectus et rationis ex actu reflectionis.  
 32.) Burgmann,  $\alpha\pi\alpha\theta\epsilon\omega\varsigma$  illud. Christi chari 14. com. 41.  
 33.) Burgmann, de auctoritate in lege et testimonio conspicua ex  $\alpha\pi\alpha$ . com. 20.  
 34.) Burgmann, de gratia generatim considerata.  
 35.) Hartmann, de argumentis quibus praestitam esse pro impenitentia  
 finali satisfactionem Christi.  
 36.) Quistorp, de notione filiorum et filiorum Dei biblica.  
 37.) Burgmann, de Deismo naturalistarum generatim spectato.  
 38.) Hartmann, de argumentis ad ~~eam~~ euincendum satisfactionem  
 Christi etc.  
 39.) Zahn, de polytheismo non superintendente.  
 40.) Paulmann = Gurrig = Kellus mundus in Insula in Graubrunn.  
 41.) Chladenius, de vocatione diuina ad ministerium ecclesiasticum.  
 42.) Franz, de coelibatu ecclesiasticorum specimen secundum de causis illius.  
 43.) Wülfemann, de natura methodi mathematicae, eiusque usu in  
 philosophia et theologia.  
 44.) Nohmann, annotationes annotationes ad locum Matth. 19. 24.  
 45.) Peters, vim cohesionis explicandi phaenomenis, quae vulgo vi  
 attrahenti tribuuntur haud sufficere.  
 46.) Quistorp, de laevis poenitentiae victimis iansenistarum etc.



IN DISS. GOETTINGENSEM  
**DE VOCATIONE DIVINA**  
AD MINISTERIVM ECCLESIASTICVM  
ANIMADVERSIO THEOLOGICA

---


Q V A  
*DISPUTATIONIS INAUGVRALIS*  
SOLEMNIA

*VIRI SVMME REVERENDI*

IOANNIS MARTINI CHLADENII  
SS. THEOLOGIAE NEC NON ELOQVENTIAE ET POESEOS  
IN ACADEMIA FRID. ERLANG, PROF. PVBL. ORD.  
FRIDERICIANAE PASTORIS

*RITE INDICIT*

CASPARVS IACOBVS HVTHIVS  
SS. THEOL. D. ET PROF. PVBL. ORD.  
PAROCHIAE PALAEOPOLITANAE PASTOR, GYMNASIORVM  
ILLVSTRIVM BARVTHINI ET ERLANGENSIS SCHOLACRHA  
ORDINIS THEOLOGORVM H. T. DECANVS



ERLANGAE 1748.

LITERIS IO. DIET. MICH. CAMERARII ACAD. TYPOGR.

RECUSA 1761.



DE VOCATIONE  
ADMINISTRATIVE

TOA NARS  
IN

CASPAR





Quam aduersus effraenatam, et praetextata rationis calumnia ferocientem Socinianorum et Socino Arminianorum turbam, adunitis huc vsque, in coetu Protestantium vtroque, viribus, religiose defenderunt Theologi; \* quam a quaestuosis Pontificiorum vociferationibus ecclesiae orthodoxae fortiter adhuc vindicarunt tot insignes in bellis Domini triumphatores, \*\* *vocationem ministrorum verbimmediate diuinam*: eam nouo non ita pridem exemplo, nec sine omni prorsus piarum mentium offensione, in celebratissima nostrae, quod nollem, ecclesiae Academia, e cathe-

A 2

\* Norrunt hoc, quibus vel eminus saltim b. SCHERZERI *Collegium Anti-Socinianum* inspicere datum fuit, vocationis mediate diuinæ fufius agentis vindicias, *ed. pr.* p. 999. *poster.* p. 1061. Addi potest ABR. CALOVIUS in *Socinismo profligato* p. 910. Praedicant publice doctores Reformati suum in hac causa cum nostratibus consensum. MAR<sup>T</sup>. FRID. WENDELINVS in *collatione doctrinae Christianae Reformatorum et Lutheranorum* L. XVI. Q. IX. p. 303. Legatur et hanc in rem POLANIVS in *syntagm.* L. VII. c. XI. p. 127. cet. PETRVS A MASTRICHT in *Theol. Theor. Pract.* P. II. L. VII. c. II. §. VI. VII. p. 791. Totis certe viribus renituntur, quando Pezae reliquorumque e primis euangelii in Gallis doctorum, nec mediata, nec immediata, sed extraordinaria voca-

tione se concionari tum professorum, obuertitur exemplum; nullatenus sibi imponi patientes, vt de vocationis mediate diuinæ necessitate sui vnam dicantur dubitasse, vid. IO. CROCIVS in *Comm. de Aug. Conf. Societate*, collatis tamen, quae regeffit IO. DEVTSCHMANNVS in *Apol. Aug. Conf. Anti-Crociana* p. 150. 151. Quod ad Arminianos, conferri potest ex Reformatis SAM. RHETEFORTE in *Exam. Arminianismi* c. XVI. p. 681. ex nostris, ABR. CALOVIUS in *Confider. Arminianismi* e. XXI. p. 472. ex Aduersariis, SIMON EPISCOPIVS in *Apol. pro decl. Remonstr. opp.* T. II. p. 223.

\*\* Neque hoc quempiam facile latere potest: scriptorum quippe myriades prostant. Vide sis vel D. NICOLAI HVNNII *demonstrationem ministri Lutherani diuini*, ed. repet. B. G. Wegneri,



e cathedra proscriptis visus est Theologus, nominis celebritate nulli secundus, D. CHRITOPH. AVG. HEVMANNVS in *Diss. de vocatione diuina ad ministerium ecclesiasticum*, Goett. 1747.

Solutis equidem in re tanti momenti, quos a nemine hucdum Theologorum satis extricatos sibi persuasit nodis, nouum nominis aeternitati statuere monumentum, Virum intendisse venerabilem, nec repugno, nec improbo: gratulor ecclesiae noua doctrinarum augmenta, odique vulgus, quod vetera dum laudat, otio torpescit: Verum vbi tanta iam agitata sunt in re adeo ardua atque difficili certamina, cautione opus est, nec ita nomine consulendum suo, vt pessime consulatur ecclesiae.

Animus est, pristinae Orthodoxiae scribere vindicias, et adflictam fratrum meorum in vocationis suae diuinitate fiduciam, restituere, seculi que ludibrio eripere. Non ignoro, quantis congratulantium plausibus litteratorum resonuerint ephemerides, \*cum dissertationis mihi nunc sub examen vocandae celebraretur elogium:

Wegueri, Regiom. 1708. in primis p. 35. 37. Iunge CHRISTIANVM DREIERVM in *Diss. Anti-Pontif. Diss. XX. p. 521.* IO. GERHARDVM in *Conf. Cathol. L. II. Spec. P. II. Art. VI. p. 795.* GEBH. THEOD. MEIERVM de *Quaest. an in ecclesia Protestantium detur verum et legitimum ministerium.* Helmst. 1684. §. XII, seq. IO. GVIELM. BAIERVM in *Diss. de Ministris eccles. Aug. Conf. rite vocatis,*

*recte ordinatis* §. III. seq.

\* Non tamen omnes. Ex *Altonauiensibus* anni elapsi P. XLI. perspicio, produsse monitorem, qui in *relationibus nouellis Hamburg. p. 235.* dissensum publice testatus sit suum: sed videre nondum mihi obtigit. Num vero digna satis Theologo sit responsio, quod ex tenacius saltem infixio Theologiae compendio depremta sint dissestantis dubia, iudicent alii,



gium : non ignoro, conculcatis Theologiae compendiis processisse homines, qui Theologos tam diu in argumento tanti momenti caecutiisse mirati, noui adinuenti egerunt tripudium : \* Sed et ingemuisse scio seruos Iesu Christi, suumque in muneris difficillimi angustiis praesidium, in conscientiae perturbatae anxietatibus solatium, in aduersitatum aestu refrigerium, aduersus mundi atque diaboli tela et impetus scutum atque gladium, a fratre, a Theologo, a publico caussarum coetus purioris oratore, sibi ereptum condoluisse.

I. Assertum palmarium, cuius patrocinium in se suscepit Dn. HEVMANNVS, quod *individualis*, *ut nunc fit*, ministrorum ecclesiae vocatio *mere humana* sit, \*\* commentum est in ecclesia euangelica prorsus inauditum, et penitus reiectum. Fucum obducit, confidentius dum contendit, litem potissimum *de voce* esse. \*\*\* Versamur vterque, quod praefiscine dixerim, in contradictorio. Etenim haec est nostra thesis: *Mediata ministri ecclesiae, uti nunc obtinet, si rite procedit, vocatio AEQVE DIVINA* est, ac *immediata Prophetarum et Apostolorum*. \*\*\*\*

A 3.

II. The-

\* Vide epistolam Brunsvico, vt subscriptio fert, transmissam, in istis ipsis, quae in nostra hac Academia vulgantur, relationibus litterar. P. XXXV.

\*\* Vide eum §. X. Distingui oportet inter institutionem ministerii et vocationem ministri. Qui post Apostolicum aeuum ab hominibus et per homines vocati fuerunt, et adhuc hodie vocantur, sacrumque in ordinem

cooptantur, sunt omnino atque ex vero nominantur *ἐπίσκοποι καὶ ἑσχατοί.*

\*\*\* §. XIV. Iam cum et hinc adpareat, SPECIALEM Pastorum vocationem esse HUMANAM. cet. Primum notamus ERROREM QUENDAM VERBALEM, illum videlicet, quo DIVINA MEDIATA solet adpellari specialis Pastorum electio et vocatio.

\*\*\*\* MARTINVS CHEMNITIVS in Exam. Conc. Trident. P. II. Loc. XIII.



II. Thesis haec, si disputatoris accurati officium peragere voluisset Dominus dissentiens, cum rationibus suis ante omnia proponenda et examinanda fuisset. In republica litteraria tantum nemini cedimus auctoritatis, vt vel solo eius halitu dissentur systemata; multo minus in ecclesia. Argumentis stabimus: quae, ne opera ludatur, repetam; sed breuissimis. a) Potestas vocandi ministros ecclesiae Deo competit *αὐτοκράτοριον*, suprema et independens, quam sibi soli ita vindicat, *vt nulla vera sit vocatio, nisi quae a Deo fiat, et ad Deum referatur*\* Ier. XXIII. 21. Ius istud suum aut exercet Deus non interueniente deligentium vllius voluntate; aut per homines administrat, quorum arbitrio commisit, legibus ordinato. Inde *vocationum oppositione directa* altera immediata est, qualis Prophetarum fuit et Apostolorum; altera mediata, qualis, immediata cessante, ad finem vsque messis obtinet. *Matth. IX. 38.* Modus cum nihil mutet in rei essentia, vtraque

XIII. §. IX-XI. p. 585. 86. IO. ADAM SCHERZER in *Syst. Theol.* Loc. XXV. §. XIII. p. 693. et in *Diff. Vol. I.* Diff. V. §. XVII. p. 18. IO. ADAM OSIANDER *Colleg. Syst.* P. VII. Loc. XX<sup>1</sup>. Thef. VI. p. 146. seq. IO. GERHARDVS in *LL. Theol.* T. VI. §. 83. p. 125. et ex eo SEB. SCHMIDIVS in *eleganti compendio Theologiae* c. XXIV. §. XX. p. 418. GODOFRED. HOFMANNVS in *Synopsi Theol.* p. 974. 75. et in *Comm. in Aug. Conf.* Art. XIV. §. IV. p. 282. et centum alii. Quin immo grauitur in hanc rem pronunciat IO. HENR. HEIDEGGER, Theologus confessionis Tigurinae celebratissimus, in *corpore doctri-*

*nae christiana*e Loc. XXVII. S. I. §. XV. T. II. p. 561. *Christus non minus Pastores et doctores, quam Apostolos, Prophetas et Euangelistas edocuit dedit Eph. IV. 11. licet illi ab hominibus mediate vocentur; hi a Christo immediate vocati fuerint. Non enim Pastores et doctores propterea αὐτοκράτοριον ἔχουσιν, humanae creaturae sunt.*

\* Verba sunt b. MENZERI in *Exeg. A. C. Art. XIV. n. 2.* Concinit MART. CHEMNITIVS in *Loc. Theol. P. III. de ecclesia* c. IV. m. 1. p. 145. GOTTL. WERNSDORFF in *diff. de iure Magistratus ciuiis* circa vocat. eccl. Ministr. §. V. Vit. 1717.



vtraque conspicitur perinde diuina\*\*. β) Cum iure delegato vocantur ecclesiae ministri; Deus eius conditor, conseruator, director, Dominus, non otiosum agit in coelis spectatorem, nec regum infirmitate a rebus in imperio gerendis hominumque confessu, viuunt semotus; sed praeuidet, vult, ordinat, dirigit, adprobat, secundat indiuidualem ministri cuiuscunque legitime electionem, quae proinde aequae rata est atque diuina ac immediata. γ) Vocatio legitima ad hemisphaerium superius gratiae spectat: vnde specialis hic occurrit virtutis diuinae operatio, nec sufficiunt naturae vires. Perinde itaque hic operatur Deus ac in vocatione immediata, siue circa vocantem, siue vocatum, siue circa vtrumque. δ) Scriptura teste missio ministrorum ecclesiae indistincte Dei trinunius est negotium, Patris *Matth. IX. 38.* Filii *I Cor. XII. 28.* Spiritus S. *Ad. XX. 28.* eamque ita sibi adpropriat Deus, vt ad eum referantur omnia, homini tribuatur nihil, nisi quod causae ministerialis praestet officium. Ad scripturae igitur testimonium, non ad phantasiae decempedam hic pronuntiandum est. ε) Inprimis Christo in haereditatem cessit ecclesia, in qua omnia in omnibus virtutis suae efficacia ita adimplet, vt pari ratione ecclesiae dedisse Pastores et doctores dicatur, mediate tametsi vocatos, ac

\*\* Apprime in hanc rem MARTINVS CHEMNITIVS l. c. p. 147.  
 „ Verum enim vero iuniores probe  
 „ notent, (Senioribus enim t. t. haec  
 „ dici non opus erat:) inter immedia-  
 „ tam et mediatam vocationem non  
 „ esse hanc differentiam, quasi Prophe-  
 „ tae et Apostoli non ab hominibus, sed

„ a Deo vocati essent; et contra illi, qui  
 „ mediate vocantur, vocati essent non  
 „ a Deo sed ab hominibus. Supra enim  
 „ demonstratum est, nullam prorsus esse  
 „ veram vocationem nisi ab ipso solo  
 „ Deo. Timotheus igitur non minus a  
 „ Deo vocatus est, quam ipse Paulus.  
 „ Sed in modo vocationis differentia est.



ac Apostolos dedit atque Prophetas *Eph. IV. 11.* Quin ecclesiae N. T. speciatim promisit Deus: *dabo vobis Pastores iuxta cor meum Ier. III. 15. c. XXIII. 4. 5.* Mediate vocatis Paulus eandem vocationis diuinitatem tribuit ac sibi, vocato immediate *1 Cor. IV. 5. coll. v. 9. c. IV. 1. 2. Cor. V. 18. 20.* Nec distinguit inter ordinarios et extraordinarios euangelii praecones; aequali ratione vt a Deo mittantur, exigens. *Rom. X. 15.* Vnde et Archippus ministerium, hominum voluntate ei collatum (tunc enim nec ipse Paulus Coloffenses adhuc viderat nec Laodiceos *Col. II. 1.*) a Domino accepisse dictus est *Col. IV. 17.*

III. Infringere debuisset D. H. haec et tot alia nostratum argumenta, eorumque infirmitatem, defectum, fallaciam prius declarare, quam exterminare libuisset mediate diuinam ministrorum post Apostolorum tempora vocationem. Verum in re tanti momenti stat pro ratione voluntas. Argumentum non habet, quo aduersus nos pugnet, nisi ETYMOLOGICVM, quod Viro tantae perspicaciae indignum omnis certe iudicabit posteritas. Agedum audiamus: „VOCATIO a VOCE nominatur, hoc est ab expressis siue ore, siue scripto, verbis eius, qui cuiquam munus aliquod mandat. Vocat igitur Princeps legatum suum, cum verba emittit quibus quid fieri velit, docet perspicue. Vocabat ita Deus Noachum, Christus Petrum et Ioannem. Vocabat Aaronem Deus per Mosen. Facile intelligimus, utramque vocationem VERE ac PROPRIE dici vocationem, hoc est non solum eam, qua Deus ipse vocat sed illam etiam, qua per alium Deus vocat aliquem: quarum illa immediata nominari solet, haec mediata. Apparet hinc IMPROPRIE

„PRIE



„*INCOMMODE* dici vocationem, ubi vox a Deo nulla  
 „fuit edita: confusionique praeberi materiam, cum in unam clas-  
 „sem referuntur vocationes Pastorum hodiernae et Prophetarum.  
 Quot quaeso in hac declaratione comparent defectus.  
 Nimirum 1) Inconcinnum prorsus est, in determinatione  
 notionis scripturae ex etymo vocis latinae concludere.  
 Quidni et synonyma vrgentur: *dare, mittere, ponere,*  
*praeficere?* 2) Incongruum est, proprietatem vocis *gram-*  
*maticam* cum proprietate eius *logica* confundere. Ob re-  
 rum abundantiam et linguarum defectum necesse habue-  
 runt homines, a proprietate etymologica nonnihil recede-  
 re, et euehere vocum potestatem: vnde *usu* metienda est  
 terminorum proprietates, non *etymo*; et *logica* multoties com-  
 petit, ubi *grammatica* deest. 3) Dum vero de proprietate  
*logica* hic disquiritur, perperam negatur, vocationem, quae  
 fit per homines spiritu prophetico destitutos, *proprie* dici  
 posse vocationem diuinam. Non enim ad vocationem veri  
 nominis talem requiritur, vt *nominatim* quis designetur ab  
 eo, qui *iure supremo* eminet. Sufficit, si eius auctorita-  
 te delegati fiat designatio, et superior agnoscat. Ecquis  
 vacuum adeo est cerebro caput, vt significatu logice pro-  
 prio eum neget a Principe vocatum, qui eius auspiciis a  
 Senatu ecclesiastico muneri admotus est? Inanis immo  
 foret vocationis in mediatam et immediatam distinctio,  
 si ad conceptum eius genericum requireretur, in quo vo-  
 cationis immediatae formalis consistit ratio. 4) Palpa-  
 bit errorem suum D. H. si ad analogiam respiciat. Ab-  
 solutio mediata ministri ecclesiae an *improprie* ideo et *in-*  
*commode* ita dicatur, quod nulla vox hic fuerit edita, nec  
*nominatim* a Deo absoluat, cui a damnatione annuncia-



tur immunitas? An negauerit vir eruditus, *vere ac propriediunitus* vocari ad euangelium, de quorum vocatione indiuiduali *expressis Dei verbis* nihil constat? 5) Dubitabunt omnino logicorum filii, an *incommode* dicatur, vt sibi persuadet D. H. quod *improprie* accipitur: sed mitto has minutias. Istud vero male me habet, quod vsitata nostratium acceptione *confusioni praeberi materiam* pronunciat, cum in *vnam classem referuntur vocationes Pastorum hodiernae et vocationes Prophetarum Apostolorumque*. Quis quaeſio stupide adeo egit ex nostris, vt sublatis quoad *modum* vtriusque, discriminis sine iniuria accusetur? 6) Rem vnico argumento conficiam. Quae Deo praesciente, volente, dirigente, adiuuante, adprobante, fortunate, eiusque auctoritate confertur vocatio, ea diuina est veri nominis et proprie sic dicta vocatio. A. Indiuidualis ministrorum ecclesiae, vt nunc fit post tempora Apostolorum, vocatio; Deo praesciente, volente cet. confertur. E. diuina est veri nominis et proprie sic dicta vocatio.

IV. Quam in Protestantium scholis vnanimi consensu in mediatam et immediatam accurate distinguimus vocationem, detorquet D. H. in sensum tam procul a sententia nostratium, ac a veritate est, alienum. Nobis vocatio *immediata* est, quae fit absque intermedia humanae voluntatis electione, solius Dei designatione: sicut intercedente hominum deligentium arbitrio quae confertur; mediatam nobis audit. Ausu infelici omnia inuertit D. H. nec *mediate* dici *diuinam* permittit, nisi quae *spiritus prophetici impulsu aut immediato Dei declarantis mandato*



*dato per hominem diuinitus excitatum erogetur. Ita mediate diuinam* fuisse contendit Pastorum, quos Apostoli, Prophetæ, Euangelistæ, dono spiritus S. extraordinario elegerint, designationem; at post tempora Apostolorum exoleuisse. \* Agedum fricemus paululum hanc aristam. 1) Si distinctam vocationis, de qua disquiritur, ideam mente formasset, et ad recte rationis stateram curatius ponderasset D. H. nouam certe acceptionem erubuisset. Notum est inter omnes, vocationis eam hic potissimum haberi rationem, vt *electionem* includat: qua in re iuncta opera aduersus Pontificios veritatis euangelicæ oratores disputant. \*\* Ineptè itaque *vocatio mediate diuina* dicitur, in qua nulla hominis mediantis obtinet electio. Ita quidem Deus Elisam vocauit per Eliam: at *vocatio* hæc nullatenus, vt sibi persuadet D. H. mediata fuit, sed immediata est. \*\*\* Ergo reclamante toto Logicorum choro producitur, quam ecclesiæ obtrudi voluit noua diuisio.

B 2

diuisio.

\* §. III. VII. VIII. IX. X. XIV.  
 \*\* IO. GERHARDVS in LL. T. VI. §. 52. p. 79. Astute enim BELLARMINVS L. de clericis, c. II. Controu. T. I. Contr. V. L. I. p. 23. inter *ius distinguit eligendi*, quod Pontificum concessione aliquando penes populum fuisse concedit, et *vocandi*, quod soli Pontifici vindicat. Apte hanc in rem b. G. TH. MEIER Diff. cit. §. XI. *Cum scriptura discrimen inter hæc tollat, nos etiam nihil horum contra scripturam ponimus, quamuis non inuiti fateamur, alium electionis, alium vocationis forte formalem conceptum dari, quos tamen contrarios non agnoscimus.* Caeterum non diffitetur

ipse Bellarminus I. c. p. 22. Deum qui vocat, pari ratione aut *solum*, aut *per homines ELIGERE.*

\*\*\* Fuerunt, qui *mixtam* dicere malebant, quo et DAV. RVP. ERYTHROPELIVM in Diff. inaug. sub præf. b. Baieri, *de ministris eccl. A. C. rite vocatis* §. III. concessisse memini. Sed rectius *vocatio ista mixta* a Theologis accuratioribus reicitur, et *immediatæ* annumeratur: in contradictonie enim oppositis non datur tertium. ABR. CALOVIVS in Exegem. Aug. Conf. Art. XIV. §. VII. *Vocatio immediata non excludit hominum internunciorum operam, sed hominum vota et electionem.*



diuifio. 2) Noſtra, quam deſerit D. H. in hac diſtinctione acceptio, ſcripturae nititur autoritate: nec liberum hic eſt, in aliena digredi. Quodſi enim, eſſato Spiritus Sancti, non audiendi ſunt niſi a Deo vocati *Ier. XXIII. 21. Ebr. V. 4. Rom. X. 15. 2. Cor. V. 20.* \* neceſſe eſt, mediate diuinam in eccleſia perſiſtere uocationem, ubi immediata deſiit. 3) Quo longius uero a noſtratibus recedit noua diſtinctio, eo fortius ſe commendat aduerſariis, qui uocationis mediate diuinæ neceſſitatem ex eccleſia plantata cum Fanaticis et Socinianis exterminant. Noſtram enim uocationem dum *ordinariam* tantum et *humanam* eſſe uociferantur, diuinam nonniſi ſaeculo Apoſtolico adſeruantes; toto peſtore acclamabunt, ubi immediatam Apoſtolis, mediatam nonniſi paſtoribus ſpiritu Prophetico ſub initia rei Chriſtianae uocatis, attribui a Theologo Lutherano perſpexerint. 4) Neque ipſe hac ſua diſtinctionis acceptione ſibi ſatis proſpexit uir eruditus. Cum enim in uocatione Matthiae nulla uox a Deo edita fuit; *uere et proprie*, ex eius ſententia, a Deo uocatus dici non poſſet. Nos uero

ro

\* Exceptiones Fanaticorum et Socinianorum, quibus demonſtrationem hancce biblicam euertere conantur, dudum diluerunt noſtrates. Sic v. g. Prophetis *Ier. III. 21.* dum expröbratur, quod cöcurrerint, non miſſi: iure conſicimus, male agere ſponte currentes. Ratio itaque in reprehentione diuina omnino eſt uniuerſalis, miſſionis nempe atque uocationis diuinæ defectus. Idem de reliquis dicendum, inprimis de dicto Pauli *Rom. X. 15.* quod in Ca-

*techiſmo Racouienſi* Sect IX. de Eccl. c. 2. p. 1036. ed. Oeder. ad nouitatem doctrinae ſaeculi apoſtolici reſtringitur. Sed et hic ratio obuerſatur uniuerſalis, quam et integer nexus confirmat. Praeſcindit Apoſtolus a doctrinae qualitate, miſſionisque neceſſitatem cum praedicationis neceſſitate connectit. Plura dabit IO. AD. OSIANDER in *Coll. Syſt. P. VII. L. XXI. p. 136.* IO. AD. SCHERZER in *Coll. Antiſ. p. 1061.*



ro ex nostratum systemate nihil haesitamus. Suae enim electionis arbitrium diuinae per sortem decisioni dum commisit ecclesia, solius Dei designatione recte dicitur Matthias et vocatus et immediate vocatus. Sequitur exinde, vt ecclesiae electione designetur, cui mediata adtribuitur vocatio. Caeterum in decisione huius quaestionis num mediata an immediata fuerit Matthiae electio, quando, obseruante quidem Viro Reuerendo, haesitauit CHEMNITIVS; nollem ego cum D. H. exclamare: *verum breui opus est consideratione.* \* CHEMNITII acumen qui norunt, meditatus alias subsistunt. Et certe dubium non leue suboriretur. Si enim immediata fuit Matthiae per sortem vocatio, confici posset, immediatam adhuc hodie posse expectari. Ecclesia enim tum temporis non alijs ac ordinarijs gratiae donis ornata erat, nec spiritus, cuius effusione Prophetiae facti sunt, in Apostolos adhuc descenderat, quippe qui die prima resurrectionis, afflatu Christi rediuiui, dona saltem ad *διανοίαν* spiritus viuificantis necessaria, quae administrantia dicimus, acceperunt. Eadem itaque fiducia in Deum ecclesiae prospicientem, forti posset adhuc hodie committi electio et pari ratione immediata expectari designatio, vi promissionis 1. Io. V. 14. 15. Io. XVI. 23. 24. *Matth.* XXVIII. 20. Si primi aevi ecclesia fortilegio

B 3

Deum

\* §. VII. Euolui tamen Chemnitium I. c. *Ex. Conc. Trid.* p. 586. nec cespitasse inueni. Duo potius accurate hic colligit: 1) velle Deum, vt per ecclesiae suffragia fiat ministrorum vocatio, ideo non Apostolos sed vniuersam ecclesiam, negotium

hoc suscepisse. 2) Sortes vero hic missas esse, quia non debuerit esse simpliciter mediata sed Apostolica vocatio: ideo postea in vocationibus non vfos esse sortibus. Quid quaeso determinatius et circumspicius dici posset?



Deum non tentavit, nec nos tentabimus; aut si nos tentamus, tentarunt et illi. En dubium, quod subnasci potuisset. Mediatam enim si dixeris Matthiae vocationem, obstat Apostolatus. Forte vero ex eadem Apostolatus ratione dubium conficietur felicius. Immediata enim dum ad tantum munus opus erat Dei designatione, precibus a Deo eam efflagitare poterat ecclesia; quod in ordinaria vocatione cessat.

V. Argumenta scripturaria, quibus vocationem mediate diuinam ecclesia adhuc feliciter defendit, et quorum robore aduersus Fanaticos aequae ac Socinianos stetit inuisita, confidentius nostratibus eripit D. H. Locum illustrem *Act.* XX. 28. vbi de Presbyteris ecclesiae Ephesinae ab hominibus electis atque vocatis adfirmatur, eos a *Spiritu S.* constitutos esse, ad probandam vocationis mediatæ diuinitatem, a primis instaurati Euangelii initiis, insigni Theologorum in hunc vsque diem consensu productum fuisse, inter omnes constat. In ordinationis actu ineunti ecclesiae ministro cum tremore praelegimus, vt muneris grauitatem inde intelligat. Soli obstrepunt ministerii euangelici hostes, ad Pastores spiritu Apostolorum prophético electos haec verba adstringentes; ministros nostri temporis a diuina Spiritus S. electione excludentes. Frigidam his suffundit mediatæ suæ, quæ nunc desierit in ecclesia, vocatione et quam nos immediatam dicimus, D. H. de qua et hunc locum interpretatur §. VIII. Sed nondam ita ruit nostratium causa. Nam 1) Apostoli in electione ministrorum verbi ecclesiae iustis de causis adseruarunt suffragii libertatem, officii



officii sui extraordinarii auctoritate muneri, ad finem vsque messis duraturo, ne praeiudicii quid enascatur, sapienter admodum providentes. Ita in electione Matthiae *Act. I. 14. 15.* Diaconorum *c. VI. 2-6* Presbyterorum *c. XIV. 23.* versatos esse constat; constat et quam feliciter ecclesia Protestantium hoc ariete aduersus Pontificios, vocationem solis episcopis attribuentes, pugnet.

2) Paulum in Ephesiorum coetu aliter se gessisse probabile non est: quin immo nec vola adest nec vestigium, unde Presbyteros Ephesinos Spiritus Prophetici designatione immediate vocatos esse conicere liceat.

3) Contrarium rectius ex eo colligitur, quod ne Timotheum quidem pro sola muneris Apostolici auctoritate ministerio admoueri voluerit Paulus, sed per *χειροθεσιαν τῶν πρεσβυτέρων* *I. Tim. IV. 14.*

4.) Accedit, quod in ista admonitione Paulina, qua Presbyteris pericula pingit post discessum suum imminetia, munerisque a Spiritu S. demandati grauitatem inculcat, nulla plane vocationis per Spiritum ipsius Pauli Propheticum collatae haberi possit ratio. Indiuidua Presbyterorum, si vel ab ipso Paulo sacris ministerii initiata fuissent, quouis die mortalitati exposita viuebant: perdurabat officium, cui qui admouebantur, a Spiritu S. se constitutos esse, opus erat vt animo voluerent omnes.

VI. Timotheo et Tito dum §. IX. ideo, quod euangelistae fuerint, *θεοπνευστων* adscribit D. H. vt factam per eos in ecclesia plantanda vocationem non humanam vt nostram, sed diuinam fuisse conficiat, egregie fallitur. Nam 1) Scriptores euangeliorum, qui sensu ecclesiastico dicun-



dicuntur euangelistae, cum iis, qui in praeconio euangelii Apostolorum cooperari erant, euangelistis sensu *biblico*, non adeo confundere debuisset. Illi diuinitus illuminati scripserunt, et reuera Prophetae fuerunt, Apostolis dignitate proximi: hi Prophetis contradistinguuntur, et post eos collocantur, vt proinde in eo, quod Prophetam constituit, dono nempe Prophetico, differentia eorum ponenda sit. *Eph. IV. 11. 2*) Timotheum Θεοπνευσίας charismate caruisse, in aprico est. Hoc enim qui excellit nec commendatitiis opus habet, nec monita ei scribuntur pastoralia, quibus iuuentuti cauetur. 3) Sequitur ergo, vt aut in ecclesia plantanda diuinam iam desuisse dicat vocationem D. H. quod ne Socinianus quidem dixerit; aut vt nostram in ecclesia plantata aequae diuinam esse agnoscat. Ad normam certe Paulinam dum in eligendo respicere debebant Timotheus et Tirus, non vt Θεοπνευστοί, nec aliter ac nostri, id muneris exsequabantur.

VII. In iis, quae de vocatione *generali*, speciali, quam et indiuidualem adpellat, contradistincta, differit D. H. nec sibi nec nobis satisfacit. Vocatio Dei *generalis*, inquit, illa est, cum declarat voce edita, se velle munus aliquod administrari a certo hominum genere. Ita vocati fuerunt posterii Aaronis ad sacerdotium, *Leuitae* ad seruitia ecclesiastica, *Davidis* posteritas ad regnum. Consultius egisset, de vocatione generali ad ecclesiam dum exponit, si determinatius finiisset. Quicumque igitur, statim subiicit, ad sacras veritates tradendas idoneus est, iure audit vocem illam Dei generalem, eaque impulsus suae ore suae calamo imper-  
tire



*tire studet alios iusta eorum scientia.* Ad accuratam huius argumenti declarationem cum omnis fere redeat controuersia, operae pretium erit, sollicitius de eo disquisiuisse: vnde sequentia noto. 1) Vocationis GENERALIS varia et multiplex est acceptio: cuius distinctione neglecta, omnis enata est confusio. Ita enim generalis dicitur aut ratione *subiecti*, quod vocatur; aut *obiecti*, seu officiorum ad quae vocatur; aut *modi*, quo vocatio significatur. 2) Generalis ratione SVBIECTI aut accipitur habito respectu ad *singulos generum* et *indiuia aequali ratione comprehensa*; diciturque alias *uniuersalis*, et vocatio est ad regnum gratiae: aut habito respectu ad *genera singulorum et indiuia pro ratione status certique vitae generis diuersa*. De illa hoc loco non disquiritur: confundere vero videtur V. R. p. 5. scribens: *eodem hoc modo Deus omnes homines vocauit ad amplexandum euangelium*; quo sensu et *Nou. Altonau.* P. XL. recitant: *So ergieng der Ruf Gottes an alle Menschen das Euangelium anzunehmen; und diese allgemeine Stimme Gottes fodert alle die zu Lehrern auf, welche die dazu gehörige Fähigkeit besitzen.* 3) Generalis ratione OBIECTI vel *officia uniuersalia* siue in regno naturae, siue in regno gratiae: vel *officia status* complectitur. Confundit V. R. in vocatione Lutheri ad reformationem ecclesiae. Alia sunt officia charitatis et religionis, quae *confessorem* faciunt: alia ministerii diuinitus demandati, quae *doctori* incumbunt. Illa ad classem priorem, haec ad posteriorem pertinent. 4) Generalis ratione MODI SIGNIFICATIONIS denominationi indiuiduali opponitur; estque vel *implicita*, quae colligitur ex declaratione generali diuinae hominum destinationis, per eius directionem in quocunque pio vitae genere: vel *explicita* est, per mandatum expressum de quibusdam personis, ad continuandum certum ordinem, euocandis; indiuiduis licet non determinate nominatis. Confundit



et hanc vir Reuerendus, vocationem eandem statui politico et oeconomico adsignans, ac ecclesiastico. 5) Generalis quae est *significationis diuinæ explicitæ* nonnisi auctoritate Christi Θεουγεωτης, eiusque specialissima circa ecclesiam cura et influxu, exercetur. Non enim nuda est humana ex generali Dei constitutione designatio: sed iurium Christi realis fit a Filio Legato, in cuius locum succeditur, translatio. Vnde est vocatio *mediate diuina*: quam quidem negat vir eruditus; nec habet candidatus, cui generalem adsignat. 6) Redit ergo controuersia ad generalem *subiectiue* et *obiectiue* talem: sed haec nemini concedit in ecclesia potestatem dispensatoris mysteriorum gratiae. Vocatio quae *per acquisitionem requisitorum* in episcopo statuitur, *figmentum photinianum est*: recte pronunciant I. A. OSIANDRO, in *coll. Syst.* P. VII. p. 126. Vt de fanaticis nihil dicam, qui vocationem ita *internam idoneitatis* externae nostratium, vt vocationi mere humanae, opponunt.

VIII. Pessime defendit ecclesiae causam V. R. si controuersiam de *vocatione Lutheri et ministerii Lutherani* isthac sua vocatione generali, *negata speciali*, §. V. conficere autumat. Ita quidem ante hos triginta annos iam praelusit in *Diff. de vocatione Lutheri diuina*; eos valere iubens, *qui caeco*, vt orthodoxis exprobrare placuit, *adsensu πατροπαράδοτα sequuntur placita*. \* Anilem nempe Pontificiorum criminationem, quod *ad errorum religionis Pontificiae professionem speciali vocatione obstrictus fuerit Lutherus*, magno tum temporis supercilio adprobans, Theologos, qui ex speciali vocatione accurate confutarunt, *Martinum Chemnitium, Ioannem Gerhardum, Henricum Eckardum, Andream Keslerum*, et si penitius spectes, doctores tantum non omnes, omnium enim eadem

\* in Praef. *Lutheri Apocalyp.* p. 10. iubilaeo 1717. cui adiecta est dissertatio, scripta anno



eadem est sententia, non aliter ac leuis armaturae milites produxit; totamque controuersiam vnice ex vocatione eius *generali* discutiendam esse, *nisi sophistas agere velimus*, \* pronunciauit. Coetus purioris causam acri mox censura egerunt *Eruditi Relat. innox. Autores*: \*\* Scriptis perniciosis, et inter saecularia iubila ecclesiae deplorandis, accensere non dubitauit Ven. LOESCHERVS \*\*\* Animaduersiones non obscure adprobauit b. WOLFIVS, \*\*\*\* vt alios taceam. Animus immo Censoris eruditi, quae nunc euenerunt, videtur praesensisse, dum in haec verba erumpit: Es kommt endlich darauf hinaus, daß er mit Arnolden aus dem mittelbaren Kirchenberuf gar nichts göttliches mehr macht, als etwa nur dicis gratia. \* *Ista certe Lutheri sui que ministerii apologia Antipapaea non indiget ecclesia euangelica. Etenim* 1) Vana et irrita est vocatio doctoris generalis, quae speciali distituitur per *LL. Symb. art. XIV. adde Rom. X. 14. 15. Ier. XXIII. 21. Hebr. V. 4. Io. XX. 21.* 2) Nec de hoc vnquam inter nostros et Pontificios fuit disceptatio. \*\* 3) Vocationem suam specialem constanter aduersariis opposuit LVTHERVS, et in ministris ecclesiae requisit. \*\*\* 4) Non obstat, quod ab ecclesia Pontificia acceperit. Non enim ab ecclesia, quatenus deprauata, sed quatenus ecclesia fuit, vocatus est: nec ad erroris professionem vocare valuit ecclesia, vt Christiana; nec ipse, sed integer coe-

C 2 tus,

\* ibidem p. 135.  
 \*\* *Unsch. Nachr.* 1718. p. 312. seq. p. 495-532.  
 \*\*\* *Annal. Theol. Secul. XVIII. Decennio. II. p. 103.*  
 \*\*\*\* in *curis T. IV. ad Apocal. XIV. 6. p. 555.*  
 \* *Unsch. Nachr.* l. c. p. 650.  
 \*\* Ita ex Pontificiis diserte profitentur Fratres WALENBVRCHII de *Miss. Protest. opp. T. I. p. 80. Dux*

WILH. CHRISTIANVS in *Spec. Verit.* p. 525. Ex nostris IAC. HEILBRUNNER in libro aureo dem *uncatholischen Papssthum Art. XVI. c. I. p. 595.*  
 \*\*\* Testimonia magno numero excitat THEODOSIVS FABRICIVS in *Locis Communibus D. Lutheri Class. IV. p. 23.* Adde quae et nos dedimus in *Diff. II. Saeculari de beatitudine morientium in Domino per Lutherum restituta §. X.*



tus, abiiciendo errores reformauit, quin Deus per euangelium effecit. 5) Dum *generalem* ad ecclesiam repurgandam sufficere vocationem dicunt nostrates, nec specialem requiri; de generali *obiecti* accipiunt, quae specialem *subiecti* supponit. Non ad quasdam, sed ad omnes ministerii partes vocatione speciali obstrictus fuit Lutherus: ergo et ad refellendos fortiter errores, restituendamque doctrinae puritatem. \* 6) Si ad *generalem subiecti* nonnulli prouocant, κατ' ἀνθρώπων disputant. Ne commune quidem hominis et Christiani officium adimpleuisset Lutherus, si errores palliasset, aut turpi inuoluisset silentio. Ita recte b. DANNHAVERVS: *ubi omnia ardent, non alia quam charitatis expectanda est vocatio.* \*\* 7) Sed quid haec ad ministerium Lutheranum? Specialem ei vocationem eandemque diuinam vindicamus omnes: aduersus Socinianos, Arminianos, Fanaticos mascule tuemur. Clamant Pontificii, qui Synagogae suae priuatiue adtribuunt, vt probetur. Regerit D. H. vocationem specialem non dari, nisi humanam; generalem tantum diuinam esse. Nonne nostro nos eodem gladio ita iugulabunt?

IX. Ecclesiis *plantatis* post mortem Apostolorum *diuinae vocationi successisse humanam* §. X. temere propugnatur. Nam 1) *Humana iam fuit in ecclesia plantanda.* Paulus dum Christi seruum se negat hominum suffragio constitutum; tales dari supponit, Gal. I. 1. Apostolos virosque apostolicos in actu Θεοπροβουλιαις semper fuisse, vbi pastores ecclesiae deligerent, quis adfirmauerit? An nulla praeter haec prorsus ecclesia sui iuris tum gauisa est exercitio? An semper adfuerunt Apostoli aut Prophetae? An ita ad Episcopos, doctorum prioris aevi successores, cum Pontificiis deuoluetur suffragii potestas? 2) Sicut *humana iam fuit in ecclesia plantanda,*

\* IO. DEVTSCHMANNVS in *Exam. Conf. aduersus TH. HENRICI* p. 269.  
 Controu. Papist. secundum Method. Aug. \*\* in *Hedosophia* p. 111.



plantanda, ita *diuina* non cessauit in *plantata*. Absit vt hoc Socinianis cedamus! Argumenta perorauit Thesi II. et seq. Quod in uocatione mediate diuina indiuiduali opus sit Dei designatione, petitio principii est, in antecedentibus satis confutata. \*

X. Ad afflictas ministrorum uerbi fiduciae misere consulitur, si adquiescere tenentur in uocatione diuina *generali* §. V. quoad *indiuidualem* eo detrusi, vt humanam se esse creaturam agnoscant §. VII. Quid enim 1) conscientiae obuertendum, si aptitudinis suae in munere adeo difficili defectu agatur anxia, vt de uocatione istiusmodi generali desperet? *Kai nepos Iulix Iis muros* II. Cor. II. 16. 2) Quibus armis nos tuebimur aduersus saeculi nostri Hobbesianismum, quando creaturam suam ad pseudopoliticorum principia conformauerint siue pessimi Principis orthodoxi consultores, siue Principes ecclesiae infensi? 3) Qua alacritate munere fungemur nostro, tot expositi et tantis mundi atque diaboli telis, ubi non est, quod in indiuiduali nostra uocatione infracti gloriemur?

XI. Idem dicendum, quando uir eruditus uocationem *indiuidualem*, ex sua sententia humanam, *eatenus diuinam* dici posse, *quatenus ad normam diuinitus per Apostolos praescriptam peragatur*, concedit §. X. Quid enim tunc inter diuinitatem uocationis ad ecclesiam, et ad seruitia domestica, remanet discriminis? Anne et seruis aequae

C 3 diuinitus

\* Sunt immo, qui et signa pariter diuina, vt in electione Matthiae, extraordinaria usque ad saeculum IV. in ministris passim eligendis durat, ex historia ecclesiastica demonstrari posse, nihil ambigunt. PETRVS ZORNIVS *opusc. Sacr.* T. I. p. 330. At signa ingenio tantum comprobata a uocatione immediata veri

nominis tali, discernere fas est. Ita Ambrosius subitanea populi conclamantis designatione diuinitus uidebatur uocatus. Sed ne legitima quidem, sensu strictiore, fuit uocatio, cum adhuc Catechumenus esset; tamen ordinaria esse non deserit: quod acute uidit b. GEORG. MYLIUS in *Exam. Aug. Conf.* p. 210.



diuinitus praescripta est regula, ac Pastoribus. Eph. VI. 5. 8. Col. III. 22-25. 1. Tim. VI. 1. 2. Tit. II. 9. 10. 1. Cor. VII. 20-22. Quid, quod et eandem matrimonio iunctis ipse tribuat Vir Venerabilis §. XXIV. Deinde 2) vbi homines male feriat, quorum tyrannidi passim subiaceret vocandi potestas, istam verbi diuini regulam fastidiunt; nonne tunc exspirauerit vocationis diuinitas?

XII. Verum irrita plane est et falsa assertio, quod minister ecclesiae ideo, quod ab hominibus designetur, sit *αυθεντικὴ κλῆσις*. Nam 1) a causa ministeriali nullatenus denominatur causatum, sed a principali: de quo inter philosophos, si vel infimi sint subfellii, constat. 2) Cum vocatio non sit voluntatis humanae, sed diuinae potestatis, et ex causae principalis decreto aestimetur, vbi ministerialis officii limites migrat: inconcinnior est, quae sit a causa ministeriali denominatio. 3) Exemplum a magistratu ciuili ex 1. Petr. II. 13. petiit, huc non ita pertinet. Partim enim ad hemisphaerium naturae eius redit electio: partim vero et locus Petrinus per occupationem tantum *humanam* ita dicere *creaturam* videtur, si scopi et totius nexus iusta habeatur ratio. Dum ad subiectionem Apostolus excitat Iudaeos, imperii alieni impatientes; magistratum ab ea parte pingere non potest, qua despiceretur: vnde dubium potius praecidere existimauerim doctorem diuinum, ita quidem, vt non obstante, quod in oculis rebellium magistratus sit *αυθεντικὴ κλῆσις*, praestandum tamen eius decretis obsequium praecipiat. 4) Sed quicquid huius rei sit, argumenti inde redundat nihil. Temerarium vero est, nec facile ignoscendum, vbi scriptura tot verbis pastores dari a Christo, ad dextram Patris exaltato, confirmat Eph. IV. 11. vbi ita praecones euangelii mittere dicitur, sicut ipse a Patre missus fuit



fuit *Io. XX. 21.* vbi tot alia suppetunt argumenta biblica, in antecedentibus adducta, quae vocationis, hominum ministerio collatae, diuinitatem tuentur; ecclesiae hodiernae ministros eo deturbare, vt pro lubitu *αὐθροπῶν* dicantur *ἄλλοις*. Grauius hoc iam detestatus est ex Reformatis, quem p. 6. laudauimus, I. H. HEIDEGGERVS: nollem ego, vt ad Calvinianum remittatur, a quo orthodoxiam discat, Theologus Lutheranus.

XIII. Quo iure V.R. ad *Io. Gerhardi, Martini Chemnitii, Io. Frid. Mayeri* consensum in nota §. X. subiecta prouocet, vocationem hodiernam adpellare *humanam* qui nihil haesitauerint, nulla mentis acie attingo. Legi atque relegi: consentientem inueni neminem. Vocationem mediate diuinam *actionem hominum esse* non hi solum, sed Theologi in vniuersum omnes profitentur. Homines enim, non angeli sunt causa intermedia. At quid inde sequitur? An humana ideo est vocatio diuinae opposita? Iure certe non nisi delegato Domini *αὐτοκρατορίας* personam agunt, penes quos est eligendi potestas: nec causa ministerialis ita influit, vt principali derogat. Consistunt itaque actio hominum, et vocatio Dei: renititur scriptura, dum separantur. Actio est serui, dum te ad Dominum vocat: vocatio non est seruilis. Absolutio ministri ecclesiae est actio hominis: sed humanam dicere dubitabit ipse Vir eruditus.

XIV. De iure vocandi dum certamen init D. H. §. XI-XIII. accuratam mihi pollicebar litis diurnae decisionem, iustasque iurium ecclesiae tot modis adflictae vindicias: sed fefellit opinio. 1) Dubitanter inquit: *cui ius eligendi praeficiendique pastores assignari*



*signari oporteat; non ita facile est explicatu, ob sententiarum diuersitatem.* Quasi vero a sententiarum diuersitate penderet theses orthodoxae difficultas. Inter nostros mathematica omnino conuictione constat: Ius vocandi et eligendi ministros datum esse vniuersae ecclesiae, adeo vt *nulla ei humana auctoritatis possit eripere.* \* Probat et ideo collegii, et collata ecclesiae a Christo potestas, et potestatis aeuo Apostolorum exercitium, et saeculorum insequentium praxis. \*\* 2) Verboſus in Pontificios inuehitur, quod *solis episcopis* ius tribuant eligendi: sed argumenta transit; tamen explicatu ideo non ita facilem esse controuersiam pipse rofessus sit. Taceo Episcopialium inter Anglos contradictionem, qui Armis nonnunquam pugnant iisdem. 3) Ius vocandi inter iura Principis refert; sed retulisse sat est. Nec status ponitur controuersiae; nec probatur adfertum; nec ad rationes attenditur, quae vtique hic obstant grauissimae. E contrario docere statim adgreditur, quibus artibus Papa cum episcopis istud sibi ius arrogauerit: ad quae procul dubio mitridaticum sibi repeti bellum existimasset Martialis, ingeminans, vt de tribus dicatur capellis. 4) Sollicite inculcat discrimen inter ecclesiam plantandam et plantatam; quo quidem aut nihil aut parum iuuatur. De iure nihil in antecedentibus probatum:

iuris

\* Totidem verbis ita docetur in LL. symbol. Art. Smalc. p. 353. edit. Pfaff. p. 443.

\*\* IO. AD. SCHERZER in Diss. Hist. Theol. de legitima ministri ecclesiae constitutione Lips. 1679. IO. HORNBECKIUS de Ministrorum eccles. Vocatione, in Miscell. Sacris p. 141. seq. BREIER in Diss. Anti pontif. p. 521.

H. HEIDEGGER in *Anatome Concilii Tridentini* T. II. p. 930. et quot quot ex nostris Tridentina scriptis castigant decreta, GERHARDVS, CHEMNITIVS, cet. Nec legisse poenitebit quae passim hanc in rem erudite disseruit Vir Reu. IO. HENR. LEMAITRE in *Vindiciis disciplinae Euang.* Amst. 1737.



juris exercitium in ecclesia vtraque res mansit arbitrii. 5) In ecclesia *plantanda*, vbi nulla erat ecclesia, *neminem pastores dare potuisse ac Apostolos et euangelistas*, reclamante et dogmatum Theologia et historica veritate pronunciat. Quid, si primus populi conuertendi doctor nonnisi charismatibus ordinariis instructus fuisset? Quid, si coetus iam saniora edoctus vnum ex fratribus elegisset, doctrina eminentem? 6) Falsum est, episcopos vocationis curam in se suscepisse, quod reipublicae rectores ethnici fuerint. Nam et iura statuum hic sunt aequalia, nec Princeps Christianus, vt princeps, sibi priuatiue vindicare valet, sine tyrannide. 7) Falsum est, episcopos in societatem electionis ideo admisisse populum, *quod pastores ab eo alendi fuissent*. Nam iure diuino ista iam penes populum fuit suffragii potestas: non derogauit ei apostolica auctoritas *Act. I. 15.* confirmauit ecclesiae primaeuae praxis: \* nec probabile est, istius episcopos temporis, quo adhuc in venis feruebat noui testamenti sanguis, libertate hac suos exuisse. 8) Abusos esse post Ariana certamina ecclesiae praesules et sua auctoritate et principum indulgentia; filium ita excreuisse perditionis, dubio vacat: Sed qui per *Papocae-*  
*D. sarianam*

\* Ita *concilium Nicaenum* decreuit, vt in defuncti locum succederet, quem populus elegerit in *epist. Synodica* apud THEODORITVM L. I. c. IX. p. 31. Praxin ecclesiae Saec. III. CYPRIANI epistolae tot documentis referunt. Vide IO. HORNBECKIUM de Voc. Ministr. ecclesiae L. I. c. III. §. 10. in Misc. p. 148. Copiosius hoc argumentum ex-

cussit DAVID BLONDELLVS, in *Diss. erudita de iure plebis in regimine ecclesiastico*, quem tamen iura plebis nimis euehendo modum excessisse non dissiteor. Conferri quoque merentur, quae summam in hanc rem, sed accurate differit S. R. DEY-LINGIVS in *Instit. Prudent. Pastoralis* P. II. c. 1. §. 1-IX. p. 159-170.



*sariam* desiderari coeperunt Polycarpi et Cypriani; eos nec *Caesaro-papia* dedisset. Caeterum *Cyrillum Alexandrinum* imperii ciuilem adpetentissimum fuisse; Socratis testimonio non adeo euitum est. Legi merentur quae in hanc rem non ita pridem praeclare disputauit eruditissimus BENZELIUS. \* 9) Principes post reformationem *ius suum dandi ciuibus pastores*, et agnouisse et exercere coepisse, non ita simpliciter valet, et iusta determinatione indiget. Iure enim diuino non Principum ius est, sed ecclesiae: \*\* nec vt membrum ecclesiae habent, nisi eius partem. Quando vero sub reformationis auro-ram officio suo defuerant episcopi, qui ius istud aut raperant ante, aut administrandi potestatem consentiente ecclesia obtinuerant; cum tyranni passim euassent, persecutores euangelii, perditae causae violenti tutores: tyrannidi vt resisterent per conscientiam se obstrictos viderunt Principes; quo quidem factum est, vt iuris populo Dei restituti exercitium, in leuamen ecclesiae ingemiscentis, Deum ideo laudante ciuitate Dei, in Principes transfiret. Ita consecuti sunt non ius, sed *iuris administrationem*, nec *absolutam*, sed ad utilitatem ecclesiae *restrictam*; confirmatam deinde pace religiosa et a parte dissentiente, quae armis ante renisa erat. \*\*\* Nullatenus

itaque

\* In *Vindiciis Cyrilli Alexandrini Gothofredo Arnolfo oppositis*, in illustri Carolina Lundensi 1740. recuis in Syntagmate Diss. eminentissimi Praef. Lipsiensi p. 37.

\*\* Videatur illustris BOEHMERVS in *iure Parochiali* Sect. I. c. II. §. XXVI-XXXII. p. 18. et Sect. III. c. I. §. VII p. 95.

\*\*\* Pactis populi Christiani Principumque, qui Christo nomen dederunt, non transfertur, nisi quod moraliter transferibile est; ergo non ius, sed iuris exercitium, idemque ad moralitatem coetus religiosi consensus arcte adstrictum. IO. FECHTIVS in *Instruct. Past.* c. III. §. I.



itaque administrant Principes, vt *ius suum*, maiestati inhaerens, sed vt *ius ecclesiae*. 10) Si fit nonnullis in locis, vt toti alicuius ciuitatis populo relicta sit electio: *non est indulgentia Principis*, sed christiana libertas: quam quidem, inuita ecclesia, non aequè ad se transferre valet magistratus. Fratribus certe, qui sub iugo sunt, ita pessime consuleretur: non enim facile deest potestatis male usurpatae praetextus; neque hoc opus esset, si ad regalia pertineret pastoris electio. 11) Dum et hinc adparere colligit vir eruditus, §. XIV. *specialem pastorum vocationem esse humanam*, pessime colligit. Princeps enim ius istud non aliter administrat, ac ius delegatum et vt causa minus principalis: vnde diuinitati vocationis nihil prorsus decedit. Sed ita colligunt Arminiani, colligunt et pseudopolitici. \*

XV. Non *inconsultum* fuit b. SPENERI votum, vt electioni Pastorum adhibeantur omnes tres ecclesiae ordines; nec b. BVDDEVS minus cogitate scripsit: *ad constitutionem pastorum concurrere oportere omnia ac singula ecclesiae membra*: nec censuram meruit, qui ita praeiuit MARTINVS CHEMNITIVS: prout Vir eruditus in Theologis meritissimis §. XIII. reprehendit. Nam in thesi ius vocandi radicaliter est penes totam ecclesiam, prout recte profiteamur in libris symbolicis; nec aliter translatum est, ac moraliter transferibile fuit: quoad hypothesein vero dolent omnino cordatiores, ex iure collegiali maiestatem passim effingi territorialem, votum ne-

D 2

gatiuum

\* SIMON EPISCOPVS LIVS in *Syntagm. Diss. Theol. Diss. in Apol. pro Conf. Remonstrantium* c. XXV, §. 38. p. 327. IO. GER. XXV. opp. T. II, IO. HIMME. HARDVS de *Minist. Eccl.* §. 85.



gatiuum populi excludi, ministerii testimonium posthaberi, hominesque aut perditissimos aut ineptissimos, ingemiscente Christi ecclesia, saepe obrudi, aut Iudaeorum, quod vel gentiles horruissent, opera mercatum fieri abominabilem. Pie et accurate IO. CHRISTOPH. PFAFFIVS hanc in rem pronunciat: *Si quis trium horum statuum negotium sibi totum arrogat soli, committit sacrilegium.* \*

XVI. Dum ad criteria vocationis, nobis pro diuina reputatae, pergit D. H. §. XIV. audacius declarat, *se supra iam definiisse, quae vocationes VERE et ex LITTERATA CONSVETVDINE LOQVENDI adpellentur diuinae mediate.* An forte nostrae huc vsque ecclesiae Theologi illitteratam secuti sunt consuetudinem, et cum idiotis senserunt? \*\*

XVII. *Ad euitandam itaque, sic pergit, confusionem notionum pro mediata vocatione, dicemus cum Gerhardo et Quenstedio ORDINARIAM.* Cur quaeso, cum Gerardo et Quenstedio? An reliqui forte Theologi improbarunt vocem? An isti duum viri a termino vocationis mediate diuinae ideo abstinuerunt? Subordinata sunt non contraria, nec sine rationibus grauissimis iunguntur; quas virum tanti ingenii non adtendisse miror. Ministerio nempe ecclesiastico, in casu necessitatis, fungi quis potest *sine vocatione ordinaria*, vbi nempe ordo deficit; sed nunquam

\* In Diff. de ministerio ecclesiae §. IV. P. 4. Tub. 1701.

\*\* Non sine voluptate legi, acutissimum et litteratae consuetudinis peritissimum Theologum, venerabi-

lem FEVERLINVM, quem Deus diu adhuc ecclesiae seruet, sententiam nostratum de Vocatione *mediate diuina* egregie confirmasse in obs. in Aug. Conf. Art. XIV. §. VIII. p. 108.



quam sine *vocatione diuina*, quae mediata sit, vbi immedia-  
diata desit. In istiusmodi casu ecclesiam constituunt,  
quicumque nomen Domini inuocant, et quae radicaliter  
penes ecclesiam sunt iura, eorum et hic ad eam redit  
exercitium. Ita Saec. XV. Hussitarum pars melior in Bo-  
hemiae desertis, orbata sacerdotibus, proscrip-  
ta ab episcopis, suos denique post preces et lacrimas sibi elegit  
pastores, diuinitus vocatos, vocatione tamen ordinaria  
destitutos. \*

XVIII. Sequitur §. XIV. nouum notamen: *Appel-  
latio vocationis mediatae an iam ante Lutherum in Pontificia  
ecclesia nata et nota fuerit, quaerere nunc non libet.* Parum  
abest, quin Lutherus confusionis dicatur autor. Ter-  
minus in scholis receptus vndecunque sit; veritati modo  
coelesti concinne respondeat: Sit ipse recentior; modo  
doctrina vetusta sit et ecclesiae apostolicae comprobata.  
Seruus Iesu Christi *per homines* ex Gal. I. i. nonne idem  
est, ac *diuinitus mediate vocatus*? Ita et Cyprianus de ordi-  
natione Aurelii: *expectanda non sunt testimonia humana, cum  
diuina praecedunt suffragia.* \*\* Et Pseudambrosius, forte Ansel-  
mus: *Quis dat episcopalem gratiam? Deus an homo? Re-  
spondes sine dubio: Deus! Sed per hominem dat Deus! Homo  
imponit manus: Deus largitur gratiam.* \*\*\* Probabile verò  
est, per controuersias Wiclefianas terminum dudum ante  
sacrorum instaurationem excitatum fuisse. \*\*\*\*

D 3

XIX. Quod

\* AMOS COMENIVS in *Hi-  
storia Fratrum Bohemorum* §. LIX-LXI.  
p. 16. 17. ed. b. Buddei.

\*\* *Epist. XXXIII.* p. 46. ed. Baluz.

\*\*\* De dignitate Sacerdot.

\*\*\*\* Sic Theologi Constantienses  
ad Art. XIV. thesum condemnatarum  
inter ministerialem autorisationem et  
autorisa-



XIX. Quod Pontificii facile abuti possint nostro de *vocatione mediate divina asserto*, non sufficit, vt eo abstinemus, et in eius locum adpellationem *vocationis ordinariae* substituiamus. Si argumentum inde formetur, pede vtroque claudicabit maior: at magis claudicabit minor. Hoc enim potissimum cornu petunt Lutheranos, quod *ordinaria* ipsis desit *vocatio*; vociferantes, eius potestatem *diuina ordinatione* non esse nisi penes Papam et episcopos. Hinc anathema iis dicunt patres Tridentini, qui *nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinatos nec missos, legitimos esse verbi Dei ministros*, dixerint. \* Fratrum *Walenburchiorum* opera vix aperueris, quin animaduertas, quibus clamoribus ex sola *vocationis ordinariae* adpellatione interstrepant. \*\* Et eandem hanc magno huc vsque impetu recantarunt cantilenam tantum non omnes, qui ad mulieris apocalypticae adsilierunt tripudium.

XX. Nec altera viri eruditi ratio sufficit, vt *vocationis mediate diuinæ* eliminetur adpellatio, quod *certainempe specialis vocationis diuina signa circumspiciendi praebeat occasionem*. Fallit et hic argumenti *maior*. Iustum enim rei vsum non dissuadent, quae hominum accedunt vitio aut imbecillitate. Fallit et *minor*: ipso enim viro erudito

§. XV.

*autorisationem Dei* immediatam distinxerunt in *Actis Conc. Const. HERMANNI* von der Hardt T. III. p. 444. Idem circa baptismum sacerdotis impii obseruatum p. 220. Plura adderem, si inter Scholasticorum umbras vagari per tempus liceret. Quod si rite conicio, et in operibus INNOCENTII III. eius rei vestigia comparebunt.

\* Sess. XXIII. de *Sacram. ordinis*, can. VII. ad quae legantur, quae acute, vt solet, differit MART. CHEMNITIVS P. II. Loc. XIII. p. 88-89.

\*\* Vide librum de *Missione Protestantium* opp. T. I. p. 80. seq. et pleniorum eius deductionem qua *aduersus Conringium* disputant p. 208. seq. imprimis p. 1030.



§. XV. non diffitente, integrum omnino saeculum praeteriit, quo ad istiusmodi criteria nemo Theologorum delapsus est.

XXI. De *signis* vero dum tractat V. R. §. XV-XVII. plura occurrunt, in quae iuste animaduertatur, 1.) Aequiuoca vox est, et de miraculosis aequae euentibus ac de criteriis ordinariis exponi valet. Tantum vero abest vt a significatus inconstantia eam liberet V. E. vt potius sensu eodem aequiuoco accipiat. B. RAMBACHIVS, quem notat, miracula non tam obtendit, ac iusta vocationis mediate diuinae criteria. 2.) Signa miraculosa desiderantibus recte exprobrant Theologi: *criteria* vero, quibus animus obfirmetur, omnes commendant. Peculiariter non ita pridem dissertatione de iis erudite disquisiuit vir summe venerabilis SIGISM. IAC. BAVMGARTEN, *de veris signis vocationis diuinae ad ministerium ecclesiasticum* Hal. 1746. Ita BALDVINVS, ad quem prouocat D. H. signum peti a Deo indignatur p. 76. *Cas. Consc.*; criteria tamen esse, vnde quis scire possit, an legitime sit vocatus p. 756. sapienter commonet. 3.) De istiusmodi diuinae vocationis criteriis solliciti cum primis fuerunt Theologi, quos iniquiori censura arguit D. H. pietissimi, b. SPENERVS et RAMBACHIVS: et si signa miraculi quandam speciem exhibentia, his immiscuerunt, humanae partim fuit imbecillitatis; partim circumspectae in Dei directionem fiduciae. 4.) Signa ingenio saltim probata, vt sortes biblicas aliasque huius generis, virum eruditum reiicere laudo: specialem tamen dum concedit Dei prouidentiam, quae non finit incerto fluere mortalia casu; euentus non negabit



negabit in fatis hominum saepe mirandos : ad quae optimo iure attendit Christianus, qui Deum huius vniuersi directorem adorat. 5.) Intempestiua itaque est censura, quae criteria diuinae vocationis in totum explodit. 6.) Fallacia est non caussae vt caussae, quando Spenerum ideo deuiasse contendit, *quod pro diuina habuerit vocationem pastorum specialem, non pro humana.* 7.) Indigna vero est conclusio: quod hodierna ministrorum vocatio ideo non diuina, sed humana sit. 8.) Subridebunt Logici ad argumentum quatuor terminorum : *Diuina vocatio criteria habet diuina: Vocatio hodierna non habet criteria diuina. Ergo non est diuina.* Nonne aequiuocatione vocis criterium luditur? 9.) Nec frontem complicabunt iidem ad argumentum viri reuerendi a posteriori formatum §. XVII. *Si Spenerus, tantus Theologus, certa vocationis diuinae indicia inuenire non potuit; nulla diuinae vocationis specialis criteria hodie dantur.* Nonne eodem elumbi argumento concludere quis possit, quod *ex litterata loquendi consuetudine non detur vocatio mediate diuina*, si tanti nominis Theologus concedere non potuit? 10.) Difficultas vero circa vocationis diuinae criteria tanta non est, vt videtur: modo pie, circumspicte, sine alieni systematis perspicillo, oculo rationis simplici et diuinitus collustrato contueamur. Criteria tunc alia sunt *essentialia*, quae ex notione vocationis mediate diuinae colliguntur, eique constanter insunt: alia sunt *accidentalia*, quae extrinsecus accedunt. Si per scripti angustiam liceret, exspatiarer hic paulisper, vt plenius deducerem: verum et hac mea opera facile caruerint, qui euoluendis notionibus aduerti sunt.

XXII. Ne videatur Vir eruditus *specialem tollere Dei prouidentiam*, duas §. XVIII. et XIX. subiicit doctrinas, quarum



quarum neutra respondet. Prior est: *Deus consilia hominum SAEPIVS ita dirigit, ut hoc vel illo loco creetur quis doctor ecclesiae, per quem insignem aliquam ei adferre utilitatem constituit: prout Lutheri hac in re eminent exemplum.* Sed de casibus istiusmodi illustribus ac rarioribus non quaeritur. Specialem quin *specialissimam*, necesse est ut concedat D. H. circa indiuidualem vnus cuiusque ministri ecclesiae rite vocati electionem, Dei prouidentis curam: quam vero eo ipso tollit, dum vocationem dicit *mere humanam*. Quae enim Dei praedicatur in regno naturae directio, non conficit: cura eius circa ecclesiam altius exsurgit. *Matth. XXVIII. 18. 20. Epb. IV. 11-13.* Posterior, quam subiicit V. R. doctrina ita se habet: *Cum quis munere sanctissime fungitur, speciale accipit Spiritus S. in mente testimonium, ut a Deo se destinatum esse huic muneri intelligat.* Non repugno: Sed testimonium Sp. S. nonne fidelium est in statu quocunque?

XXIII. Ad conclusiones transit V. R. ex eo, quod hodierna pastorum vocatio sit *humana*, eliciendas: quarum aliae sunt orthodoxae, sed et ex nostra thesi fluentes; aliae emendatione indigent. Ita nempe §. XX. de candidatis concludit, posse eos *suam operam offerre; posse vocationem accipere a patrono et impio et heterodoxo.* Idem, si iuste determinetur, dudum docuerunt nostrates: sed medium terminum, quod vocatio *tantum generalis sit diuina, specialis humana*, ex quo elicit D. H. detestamur omnes. Nec cerebro adeo vacat humana prauitas, quin conclusiones inde nectat sibi valde proficuas. Vocatione generali diuina qui se sentit impulsus, ad impetrandam humanam, vbi tardat, quidni curreret, aut trigis potius atque quadrigis cursum currentium anteuenteret? Non coercebitur

E

tur



tur hominum malitia, quamdiu vocatio Dei interna et externa, quae vnum vtique constiuunt *αποτελεσμα*, separantur.

XXIV. Conclusionibus, ad *pastores* §. XXI. quas pertinere autumat V. R. principium substernitur funestissimum. Ita nempe ecclesiae minister nunc demum euadit *creatura humana, ad pastorum suum obeundum certa mercede conducta*. Primus est ex Theologis vir eruditus, qui ita sentit: vtinam et vltimus sit. Illud doleo: hoc spero. Confectaria ecclesiae lugenda quae inde deducerent scholae Hobbesianae Politici, Deus clementer auertat! Absit vt mercede dicatur conductus, qui in locum Christi sufficitur mysteriorum gratiae oeconomus. Vocat Princeps; non vt causa principalis. Qui mittit, Dominus est messis: idemque et auocat. Salarium iure diuino debet ecclesia: de salario non paciscitur Christi seruus; nec pactum dixerit scissum, vbi promissis non ita steterit ecclesia. Sequitur vocantem, quia conscientia exigit; nam Dei vocatio est: non auctoritate paciscentis, non pacti necessitate. Moritur qui vocauit: non moritur conductor, nec expirat contractus. Caeterum conclusiones, quas format Vir eruditus, concedo: sed ex aliis principiis, et iustis exinde limitibus circumscriptas. En! summam: *qui diuinitus ad ministerium ecclesiae vocatus est, seruus Christi euasit, nec sui est arbitrii, sed Domini qui vocauit*. Hinc discedere non potest nisi diuinitus auocetur: auocatus, nullis tenetur motiuis carni attemperatis: sufficit animo sequi vocantem, vbi discedendi denegatur potestas; et sic porro.

XXV. Conclusiones ad *Principes* pertinentes ex iis iudicari facile possunt, quae supra disputauimus, Magistra-



gistratus, vt talis, num ius habeat textus, festa, ritus, vestitum praescribendi, vt §. XXII. contendit D. H. de eo ambiget pars melior ecclesiae. Quid, si Principi liberet, vt ad habitum Capucinatorum aut Iesuitarum conformetur ministrorum ecclesiae vestitus? Exempla odiosa sunt: et sapienti sat est. Quae sub initium huius saeculi hac in re acrius disputata fuerunt, non ignorabit Vir eruditus. Camerinam mouere nolo.

XXVI. Transeo quae Vir Venerandus de *ludimoderatorum* vocatione diuina §. XXIII. quasi *eadem sit cum illa, quae pastoribus adsignatur*, praecipit: eandem certe et hoc modo habebunt ancillae, dum primas infantiae de Deo ideas instillant. Si eadem est, cur non et effectus praestat eosdem? Maioris momenti sunt, quae §. XXIV. de *magistratus ciuilibus* vocatione diuina differuntur, et quae de matrimonio piorum *coniugum* his annectuntur. Vocationis quandam diuinitatem statui tam *politico* quam *oeconomico* non heri quidem aut nudius tertius, sed vsque quaque tribuerunt theologi. \* De magistratu ciuili, quod ad vocationem *generalem* qualem quidem vir eruditus ei adsignat, dudum ante *Willenbergium*, quem laudat, et ab vltimis instauratae veritatis initiis ita tradiderunt nostrates. \*\* Asterisco proinde haut merebat notari, quod *magistratum etiam et coniuges vocationem habere diuinam quidam ex nostris in Relat. innox. agnouerit*: agnoscunt enim vulgati quicunque theologiae libelli.

E 2

strorum

\* Videatur vel NIC. SELNECCERVS in *Exam. ordinand.* opp. T. I. p. 30. scripto auctoritate publica vulgato.

\*\* PHIL. MELANCHTON in *Locis L. XX.* opp. T. I. p. 283. IO. WIGANDVS et MATTH. IVDEX in *Cor-*

*pore doctrinae* P. II. p. 1357. MATTH. HAFENREFFER in *Locis* p. 597. IO. WEINMANN *Instit. theol. disp.* XIV. §. L. p. 471. SEB. SCHMID in *Compendio Gerhardiano* c. XXV. §. XIII. IO. GERHARDVS in *LL. T. VI. de Magistr.* §. 83. p. 712.



strorum ecclesiae et magistratus atque coniugum vocationem, quae non leuis intercedit, omnino attendenda fuisset: quam quidem Vir Reuerendus negat; sed negasse non sufficit. Hic equidem, quod lubens fateor, compendia nos deserunt. Nam quae de generali status vtriusque differentia praecipunt, ratione *adpellationis*, *obiecti*, *effectus*, *finis*, ad determinandam *vocationis diuersitatem*, aut parum, aut nihil conferunt. Sed faciendum periculum, et intentata patebit via. I. Vocatio ministrorum ecclesiae, vocatio diuina est *strictè* sic dicta: *magistratus et coniugum* nonnisi significatu *latiori* ita audit. *Late* obligatio quaecunque Dei ad aliquid efficiendum nos excitans, vocatio est *in* *Dus*; tametsi de vocatione *passiua* non aequè valeat, dem *Verus*; nec reciproca *missionis* adpellatio locum inueniat. Ita *actiue* Deus me vocat, vt amem fratrem meum: sed *passiue* non nisi per insignem *ακρολογίαν* dixeris: te *mitti*, aut habere vocationem amandi. Ita *actiue* Deus vocat coniuges ad castos amplexus sobolisque procreationem; sed vocationem *passiuam* non aequè sibi adtribuerint. Magistratus ad capessendum regimen vocatur *actiue*: *missionem* sibi oblatam regendi populos non facile dixerit. II. Vocatio ministrorum ecclesiae diuina ita dicitur significatu *proprio*: sed *improprio* *magistratus et coniugum*. Ad hanc vocis proprietatem *tria* requiruntur: *primum* munus quoddam distinctum, cuius vices subeantur; *secundum* vocationis *actiuae* euidentis significatio; *tertium* vocationis *passiuae* inde redundans potestas et obligatio, vocationis ita *actiuae* significatione officium praecedente. Requisita haec vel leuis ad res quotidianae experientiae confirmabit adtentio: nec enim vocationem habere dicetur, qui his iestuitur. p Vocatio igitur *strictè* sic dicta magistratui et coniugibus



iugibus non nisi *analogice* et *improprie* adsignatur. In *coniugio* speciale officium sub muneris spectatur imagine: diuina directio destinationem indiuidualem ex euentu declarans, confertur cum determinata et euidenti voluntatis diuinae significatione; factorum ytrinque Deo reddenda est ratio: inde coniugio adtribuitur vocatio. Idem de *magistratu* dicendum. Munus suum adit magistratus, Dei gratia potestate eadem, ac alter, qui euidenter vocatus est: obligationem suscepit ac Dei minister: singularis Dei directio vocationis ipsi refert similitudinem: oeconomia Dei in regno potentiae ei, quae est in regno gratiae adsimilatur: dispensator est vterque. Et ista quidem conuenientia vnicuique hominum vocatio adtribui potest diuina, requirente scriptura, vt velut oeconomi multifariae gratiae vocationem adimpleant suam 1. *Petr.* IV. 11. 1. *Cor.* VII. 20. At stricte et proprie sic dicta diuina vocatio, non erit nisi dispensatorum gratiae; de quibus et vnice praedicatur, quod *mittantur*. Reliquis in suo statu aut vitae genere aut vocationis actiuae deerit euidentia; aut passiuae indubia conscientia; aut muneris inde obeundi potestas; omnibus *missio*. Dum se dicunt vocatos non habebunt vnde confirmant, nisi inclinationis et idoneitatis internae sensum, quae vocatio alias dicitur *interna*, et omnium consensione impropria est; aut ex nonnullis diuinae directionis probabilibus signis colligent. Fallit vero et saepissime coniectura, contrarium manifestante euentu: nec significatio hic euentum *antecedit*, sed ex euentu concipitur.

III. Magistratus et coniugium *vt tales*, ordines sunt ad *regnum potentiae* pertinentes: at ministerium verbi ad hemisphaerium superius gratiae spectat. Equidem, relati ad ecclesiam, ordines sunt diuinitus constituti, regno gratiae



adprobati, meriti Christi efficacia Deo commendati, \* et gratiae superioris influxu sanctificati; ordinati propter ecclesiam: *coniugium* vt sit eius seminarium; *magistratus*, vt tueatur. De *intrinseca* tamen non sunt ecclesiae constitutione: vt pote quae non nisi duas admittit classes, *alteram* eorum, qui vice Christi in dispensandis gratiae mysteriis defunguntur; quae est *docentium* 2. Cor. V. 20. c. VI. I. I. Cor. IV. I. alteram reliquorum, qui hac dispensatione in animarum salutem fruuntur, quae est *audientium*. Hebr. XIII. 17. Prout igitur, in *externa* ecclesiae societate, ad hemisphaerium inferius regni potentiae spectant, sufficiunt aut cooperantur naturae vires; locum inuenit liberi arbitrii potestas; voluntatem Dei declarat et lumen naturae. \* At *ministerium verbi* suapte natura ad *hemisphaerium superius gratiae* pertinet: Nihil hic prorsus valet natura. Vocatio proinde *specialem* necesse est vt conferat *gratiam*; quali quidem *dispensator beneficiorum Christi* pro muneris ratione indiget. Hinc IV. quod ad *vocationem actiuam* causa efficiens principalis *vtrinque* est Deus: sed *aliter* influit in vocationem *magistratus* et *coniugum*, *aliter* in vocationem ecclesiae ministri. Ibi moraliter, dum praecipit; hic *realiter*, dum perficit: ibi cura aut *generali* aut *speciali*; hic *specialissima*. Ideo V. significatio *vocationis diuinae* in missione ministri ecclesiae non est *mere declaratiua*, et generalis saltem constitutionis diuinae significatio atque executio, in quo omne quidem ponitur errorum Viri Reuerendi fundamentum; sed quam maxime *collatiua* est, non quoad causam minus principalem, sed *quoad principalem*. Certe Deus et mediator Iesus Christus, qui in templo suo mystico omnia in omnibus adimplet Eph. I. 23. c. II. 21. 22. c. III. 19. prout et in visione Iesaiiae iam declaratum est Ies. VI. 1. 2. coll. Io. XII. 48. vbi dispensatores beneficiorum gratiae per ecclesiae delectionem mittit, non otiosum agit spectatorem, nec agere potest; siue promissiones ecclesiae datas Matth. XXVIII. 20. siue *exsecutio* ipsi qua homini concessae rationem, quae missionis est fundamentum: *оуу* IDEO quia mihi data est omnis potestas, ite

\* vide omnino August. Conf. Art. XVIII. de efficacia meriti Christi in regno potentiae. lenae 1723, Sect. II. §, XXI,  
 \*\* FOERTSCHIVS in diss. erudita




ite et praedicate 1. c. versu 18. 19. siue denique ipsam muneris destinationem, quod ministerium est Spiritus viuificantis 2. Cor. III. 6. consideremus. Idoneitas, quam in ministerio mortis natiuitas ex tribu Leui concedebat, nunc in ministerio vitae non est ex nobis, sed ex Deo. *ibid.* versu 5. Hanc vocatione sua dat Dominus ecclesiae: cuius quidem inuictum argumentum habemus Io. XX. 21-23. Ideo enim adflabat suos, spiritum oris sui hoc symbolo innuens nunc conferendum: et spiritus viuificantis ministerium, proximum mortis deuictae post resurrectionem fructum instituens, ad hoc dum primos vocat ministros, accipite, inquit, Spiritum S. Quorum dimiseritis peccata; dimittuntur illis: quorum retinueritis, retenta erunt. Haec ad Apostolos qui restringenda esse tumultuantur; certe cum ratione insaniunt. Muneris Apostolici, vt ministerii Spiritus extraordinarii, dona extraordinaria in nouae demum oeconomiae inauguratione, die prima Pentecostes, accipiebant Act. I. 4. 8. c. II. 1. seq. Vocatio ipsa dudum praecesserat. Marc. III. 23. coll. Luc. 12. 13. Nec spiritus viuificantis ministerium; pacis per Christum partae annunciatio; peccatorum, sublata sacrificiorum oblatione, ad quam lege Moisis adstricta fuerat, remissio, ad Apostolatam vt talem spectabant; sed ad ministerium euangelii pacis, vsque ad orbis terrarum excidium duraturum. VI. Qualis itaque ministerii ecclesiastici est ratio, talis et est vocationis ministrorum ecclesiae. Ad haemispherium gratiae superius pertinet *διακονια*: ergo et, quae per vocationem praestatur, *ικανοποιησις*. Haec vocationis diuinae praerogatiua muneris spiritus viuificantis priuatiue competit. Selectio est ab aeterno: manifestatio fit in tempore. Praeparatio Dei dirigentis praecedit: vocatio sequitur, ecclesiae ministerio declarata. Minister ita diuinitus vocatus fit Dei in haemispherio gratiae superioris cooperarius II. Cor. VI. 1. 2. Succedit in locum Christi, fidelis diuitiarum Dei dispensatoris II. Cor. V. 20. coll. Hebr. III. 3-6. Claves vt oeconomus accipit easdem Io. XX. 21-23. Beneficia gratiae eadem dispensat, *ορθομοων τον λεγον της αληθειας* II. Tim. II. 15. I. Cor. IV. 1. Ita iura Dei administrat, beneficia Christi dispensat, legationem obit eandem, ac Filius in munere prophetico, in extremo dierum missus: ad hoc et idem vocatione vere diuina




uina sufficitur. Et haec est diuini, quod in missione eius conspicitur, differentia; quam totidem verbis confirmat ecclesiae Dominus: *SICVT Pater me misit, ITA et mitto vos. Io. XX. 21.* Haec utinam Vir Reuerendus meditetur curatius: et errorem, quo fiduciam ministrorum Christi in vocationis suae diuinitate turbauit, erubescet.

Diuinam ministrorum ecclesiae vocationem, eandemque indiuidualem et stricte sic dictam, in thesi adhuc defendi: nunc et in illustri eandem venerari exemplo paterna Dei, ecclesiae et academiae prospicientis, conceditur benignitate. Doctoratus theologici dignitate inaugurandus est Collega desideratissimus, Vir summe reuerendus, IOANNES MARTINVS CHLADENIVS, S.S. *Theologiae, Eloquentiae et Poeseos Professor Publicus ordinarius, templique Academici Pastor.* Patrem, in cathedra Lutheri tot quondam de ecclesia Christi omnique re litteraria meritis effulgentem, *Martinum Chladenium*, qui nouit; filium laudis auitae haeredem, diuino nobis nostraeque academiae dono datum, laetus praedicat. Vt nihil dicam de Auo, *Georgio Chladny*, non sacerdote saltim inter Pannonios haut ignobilis meriti, sed et propter doctrinae euangelicae puritatem exule Christi, inter Confessores anno 1674. Hungaria extrusos, immortalis: cuius zelus et pietas familiam *Chladieniam* virtutis et benedictionis haereditate commendat. Talis immo et noster fuit in Academia Lipsiensi Professor, in Gymnasio Casimiriano Director, vt nonnisi bene de eo sperare possit ecclesia, vbi a Domino messis ad vtramque cathedram in templo et academia videt euocatum.

NB. Prioris editionis vltimae paginae olim exhibebant vitae rationes et scripta post fata etiam celeberrimi theologi b. Io. Mart. Chladienii: quibus hic denuo recusis LL. BB. carebunt facile, quum easdem et auctas in Viri generosi atque excellentissimi Chr. Ern. de Windheim Bibliotheca philosophica, et absolutas in Funeralibus b. Chladienii inuenire possint.















Lib. I. Sect. XIII. Eo modo se res ha-  
n magnetibus. Mihi quidam est, qui  
massam in distantia crassitiei chartæ  
videtur, quæ illi tamen, dum se pro-  
t magnes & ferrum, satis forte ad-

æ hucusque exposui, abunde elucescit,  
solam illa haud actuare phænomena,  
si cuidam Physici tribuunt. In hac igi-  
nus, vana erit persuasio, si in internas  
ires naturæ, opinamur. Interim ta-  
dam ut adsit, necesse est. Qualis igi-  
vis attrahens, agens in distans, cor-  
is aut naturalis, ut quamlibet materiæ  
netis instar concipere liceat? Si affir-  
fecasse non solviffe, Philosophi dicent.  
chanica suspicanda est ratio? Nondum  
ndum est, excogitari posse motum ma-  
t ostendi per impulsum ea fieri, quæ  
tæ attrahenti tribuimus? Mechanis-  
ditionis inter impossibilia esse referen-  
us evictum est ac per attractionem  
oni; licet per plurimi, e. g. *celeb. Krat-*  
*s, Hambergerus aliique*, demonstrare pri-  
cicut nec vortices cœlestes ita destru-  
*Newtoni* ratiociniis, licet d' *Alembertus*  
mare & ab objectionibus *Joh. Bernoulli*  
it, ut nulla restaret possibilitas a ma-  
impulsu, motum derivandi corporum  
cœle-

C 3

